

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **De Fidei Formvlarvm Praecipve Avgvstanae Confessionis Ivstitia Et Vsv**

**Bernhold, Johann Balthasar  
Schifflin, Johann Sigismund**

**Altorfii, [1730]**

§I.

[urn:nbn:de:bsz:31-67824](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67824)

bonariam, politici papatus reliquias &c. retundendi; sed coarctata, qua circumscribimur, temporis angustia praepediti, earum examen in ipsa disputationis arena uentilandum proponimus; certi interim sumus, B. L. facile soluturum secundum haec tenus probata, quae mota sunt dubia aduersus *Formularum Fidei Iustitiam et Vsum.*

DE

## AVGVSTANAE CONFSSIONIS IVSTITIA ET VSV.

### CAPVT VNVM

§. I.

**A**ugustanae Confessionis nomine quid rei nobis ueniat, nemini ignotum est. Significamus nempe publicum <sup>Augustanae Confessio.</sup> scriptum, quod M. Imperatori CAROLO VTO, Germanici Imperii PRINCIPES V. ET DVAE IMPERIALES CIVITATES [*quem numerum nuperrime accurate fixit Celebrimus IOH. DAV. KOELER in Disp. de subscriptione A. C.*] ante ducentos annos XXV. Iunii die, AVGVSTAE VINDELICORVM in comitiis ibi habitis demisse obtulerunt; complexum XXI praecipuos, quos sic uocant, FIDEI ET DOCTRINAE ARTICVLOS; itemque VII. capita, in quibus recensentur abusus mutati; ad quod condendum praeclaudatorum Imperii statuum theologi in commune consilia et sententias contulerunt, PHILIPPVS uero MELANCHTHON eius litteris explicandi interpretis fuit. Vocauit is hoc scriptum ad ueteris Ecclesiae doctorum exemplum *Apologiae* siue *defensionis* et *confessionis* nomine. [*Saepius etiam B. LVTHERO apologiae, defensionis et declarationis nomine uenit in epistolis suis passim*] maluit tamen confessionis uoce uti, eo, quod Caesari non uacaret, prolixas audire disputationes, quae apolo-

apologiis familiares alias esse solent. Sic PHILIPPVS in Ep. ad Lutherum scribit, citata a GE. COELESTINO in *Historia Comitiorum August.* Tom. I. p. 41. et B. DAV. CHYTRAE in *Bericht von Augspurgischer Confession.* p. 36. seq. qui titulus cum additamento uocis *fidei*, ut postmodum scripto praefigeretur, collibitum fuit; (unde et *Confessionistarum* titulo *ueteris lutherani doctores apud pontificios scriptores ueniunt.*) Confessionis *fidei* nomen libro prudentissimo consilio est inditum, cum dictos articulos eum in finem obtulerint pietissimi *Confessores* nostri, ut in iis exstaret *Confessio sua*, et eorum, qui apud illos docent, *doctrinae summa* cerne- retur; [sunt uerba epilogi; quibus *ὁμολογία* sunt, quae in Praef. ad CAROLVM V. leguntur: offerimus, inquit, nostrorum concionatorum et nostram confessionem, cuiusmodi doctrinam - - illi in nostris terris, Ducatibus, ditionibus et urbibus tradiderint, et in ecclesiis tractauerint.] non minus prudenter titulus *Confessionis fidei* prae altero *apologiae* receptus fuit et usu inualuit, facit quidpe eo, ne idem unumque cum insecuta eiusdem apologia ferat nomen. Compendii tandem gratia, et ut in simul, ad ueteris itidem Ecclesiae exemplum [uid. B. IO. SCHMIDII *Diff. de Aug. Conf. nomine etc.* p. II.] urbis, inibique gestorum pia coleretur memoria, hic liber dictus fuit *Augustana Confessio*, quae appellatio usu uulgatissima, ubiuis et semper hucusque obtinuit. [*Confessio Saxonum per contentum audit apud Pontificios doctores.*]

## §. II.

Non uariata.

Augustanae Confessionis exemplum latinum a PHIL. MELANCHTHONE, e nimia in *Zwinglio-Calumnianos* propensione MIOXL, priuata autoritate insigniter mutatum iuxta acum ueritatis iactura corruptum, uariatum uulgo id dicunt, hinc secludimus; constantissime quidpe ab orthodoxa Ecclesia id reprobatum fuit. [non hic itaque inuimus, quas